

Pax Christi.

Reverendissime et Illustrissime Domine.

Accepi Rdissimae et Illustrissimae D.V/ae literas 11 Junii datas, unâ cum epistolâ R.P.Generalis, et statim me operi accinxi; mitto
5 nunc P.Generali Defensionem libri primi De amissione gratiae, et statu peccati. Malo vero Tomam mittere securitatis causa, quamvis periculum ne exemplaria intercidant timeam, cum aliud non habeam. Oro autem ut D.V. pro opportunitate etiam velit per se vel alium inspicere. Forte commodum erit, ut hic libellus primo seorsum edatur. De
10 inde alii de causa peccati, tertio de originali peccato, sic enim homini sine more furente remora injicietur. Sed de eo ut visum fuerit Illustriss.D.V. statuere. Pareus omnia D.V/ae nullâ parte ommissâ calumniatur, et cavillatur, ideo longior esse cogor, quia nullam partem indefensam relinquo: ille enim hoc unum agit ut D.V. in extreme
15 mum contemptum adducat, itaque etiam in adiaphoris cum apud sciolos suos se jactat, convincendum puto. Forte Romae gratum non erit, quod saepius haereticos pro defensione citem, verum novit Illustriss.D.V. in Germaniâ hoc esse plusquam utile. Valde enim mirantur, cum eisdem interdum verbis cum D.V/a vident suos in os Pareo contradicere,
20 suique diffidere incipiunt. Hoc itaque plurimum apud aequiores valet, ut experientia didici, ut cum D.V.Illustriss. vocat, impostorem, sophistam, sacrilegum ab verba, quae etiam sunt, et eodem sensu, suorum.

Quod ad PP.Dominicanos attinet, de auxiliis, aliisque ita sententiam D.V.Illustriss. defendam, ut controversiam non attingam, haereticorum tantum rebus intentus, eosque inter se committam aliquo
25 shemate, ut nullum catholicum offendam nec occulte, nec palam, nam controversiam illam opto sepeliri, et ingenia illa contra hostium exercitus verti. Libellum hunc, et secuturos Illustriss.V.D.commendo. P.Becanus humilime, et amantissime, R/dissimam et Illustrissimam D.V.
30 salutatur, quod ego quoque facio, et Demum oro, ut eam diutissime servare velit. Moguntiae Anno 1613, die 31 Augusti. / Reverendissimae et Illustrissimae D.Vae / Servus in Christo / Adamus Contzen
Autogr. Adresse du cardinal de solito, cachet.